

## CL. CHRISTOPH. HARTMANN.

De Republ. Polon.

CAPUT VI. LIB. I.

DE POMERANIA.

I.

**P**omeraniæ nomen Slavonicum esse non dubitamus afferere, quicquid etiam dicat Cl. Micælius in *Prefat. in Part. II. Chron. Pomer.* Nam *Pomorska*, subintellige, *Ziemia*, est idem quod litoralis, sive maritima terra. Dicitur etiam simpliciter *Pomorska* Polonicè, & *Pomerania* Latinè. Hinc etiam Vincentius Kadlubko antiquus Scriptor Polonicæ Historiæ semper ferè Pomeraniam appellat **MARITIMAM**, & frequenter apud ipsum occurrunt: *Maritime Præses: Maritime Dux: Ingressus est Maritimam*, & aliæ formulæ. Qui Cl. Micælium de significatione particularum Polonicarum, *u, po, przy*, edocuerunt, ignari ipsi fuerunt lingvæ Polonicæ. Nec mirum est Slavonicum Regioni inditum esse nomen, cum & oppida Pomeraniæ multa Slavonica sint, ut *Belgard* sive *Bialygrad* i.e. Alba Civitas, sive Album Castrum. *Stargard* sive *Starigrad* i.e. vetus Castrum. Quædam reperiri etiam nomina Germanica, non erit nobis præfractè negandum, cum non solum antè ingressum Slavorum sed & post ea tempora Germani incoluerint Pomeraniam.

II. An verò statim ab ingressu Slavorum in Germaniam Pomerania fuerit Polonis subjecta, nec ne, dubitari à multis videmus. Affirmant hoc Poloni, negant Pomerani. Cui sententiæ calculum nostrum addere debeamus, in defectu veterum monumentorum, vix apparet. Pro Pomeranorum autem sententia militat illud, quod Helmoldus Pomeraniam numerat inter liberas illas Slavorum Provincias extra Poloniam. Ubi ergò inquit Helmoldus, *Polonia finem facit, pervenitur ad amplissimam Slavorum Provinciam eorumque qui antiquitus Vandali, nunc autem Vinithi sive Vinuli appellantur. Horum primi sunt Pomerani, quorum sedes protenduntur usque ad Odderam. Et post: Oddera vergens in Boream transit per medios Vinulorum populos, dividens Pomeranos à*

K

VVil-